



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

2. Vtrùm natura humana esset æquè impeccabilis si vniretur naturæ
diuinæ media subsistentia creata.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

sanctum, non tamen diligit totā illam personam integrē secundum omnes partes, quia humanitas peccatrix, quæ est pars eius suppositi, non est digna amore, sed odio. Sic etiā e contra posset Deus odio habere humanitatem peccatorem in Christo, non tamen totum suppositum, quia personalitas est essentialiter digna infinito amore. Sicut si fingeres, materiam primam Christi informari simul in alio supposito alia anima peccatrice Petri; tunc haberet Deus in odio animam Petri, non tamen materiam Petri, quia hæc eadem materia amatur in Christo, & non potest simul amari, & odio, haberi: nõ est ergo necesse, quodd peccatum semper reddat odibilem materiam, vel subsistentiam hominis peccantis, sed ad summum quodd reddat eos odibiles, quantum est ex peccato, nisi aliunde repugnaret odium ex alio capite.

19
Ratio conclusio-
nis sumpta
ex sanctifica-
tione.

Restat ergo vnica ratio conclusionis desumpta ex sanctificatione, qua substantialiter sanctificatur Christi humanitas; diximus enim supra *diff. 16. sect. 1.* sanctificari formaliter per Deitatem, & personalitatem Verbi, & per consequens per sanctitatem infinitam; non quidem infinite simpliciter, quia non sanctificatur essentialiter, sed tamen infinite secundum quid, id est in genere sanctitatis participat; ex quo fit, sanctificari quantum fieri potest in genere sanctitatis participat; cum enim forma sanctificans sit sanctitas infinita simpliciter, licet hæc non tribuat humanitati eundem effectum formalem, quem tribuit Deo, propter incapacitatem subiecti, quod non potest esse sanctum essentialiter sicut Deus; dabit tamen humanitati effectum, cuius ipsa non est incapax, scilicet esse summè sanctam in ordine creato; cum ergo non repugnet ex conceptu suo in ordine creato esse aliquam creaturam ita sanctam, vt in sensu composito forme sanctificantis repugnet illi peccatum graue, vel leue, etiam in ordine ad potentiam absolutam, (multi enim concedunt, hanc essentialem repugnantiam gratia habitualis cum peccato graui) necesse est hunc effectum formalem tribui humanitati ab infinita sanctitate, qua sanctificatur: quia summa sanctitas debet reddere subiectum summè sanctum, quantum subiectum illud intelligi potest sanctificari.

SECTIO II.

Vtrum natura humana esset æquè impeccabilis, si vniretur natura diuina media subsistentia creata?

20
Difficultas.

Querimus, quid dicendum esset, si per possibile, vel impossibile natura diuina e contra vniretur supposito humano? an scilicet tunc eodem gradu repugnaret peccatum cum illa humanitate sic vnita Deo in eadem persona, an verò minus repugnaret, quam nunc repugnat? Ratio dubitandi esse potest, quia illa humanitas non sanctificaretur tunc ita perfecte, sicut nunc; non enim vniretur immediatè cum subsistentia diuina, vel cum Deitate, sed mediatè, nimirum mediante subsistentia creata imperfecta; quare non esset tam intrinseca, & immediata conexio inter humanitatem, & Deum, sicut est nunc; nam de facto humanitas Christi immediatè vnitur cum personalitate diuina; non ergo sanctificaretur ita perfecte illa humanitas, sicut nunc, quia participaret

minus perfecte, (vt vidimus) perfectionem diuinam, scilicet imperfectiori modo; ergo nõ posset ita perfici à perfectione diuina sibi vnita. Nam vt subiectum perficeretur ab aliqua forma sibi vnita, non solum attenditur ad perfectionem ipsius forme, sed etiam ad perfectionem vnionis, seu modi, quo communicatur talis forma. Cum ergo diuina perfectio minus perfecte communicaretur illi humanitati, minus etiam illam perficeret, ac per consequens minus eam sanctificaret, vt indicauimus etiam in superioribus *diff. 16. sect. 3.* Cum autem summa impeccabilitas humanitatis Christi oriatur ex perfectissimo gradu sanctificationis, quæ accipit à personalitate Verbi diuini sibi vnita; consequens est, quodd in illo alio casu, vbi minor esset sanctificatio, minor etiam esset impeccabilitas, atque adeo vel posset peccare de potentia absoluta, vel certè in sensu diuiso, vel saltem in aliquo deficeret à summa impeccabilitate, quam nunc concipimus in humanitate Christi.

Propter hæc P. Iosephus Ragusa in præfati *diff. 11. §. 7.* videtur admittere, quodd posset tunc humanitas peccare: addit tamen ab illo peccato non denominandum Deum peccatorem, quia Deus non vult illud peccatum, nec est capax illius denominationis. Sed hoc non videtur posse consequenter negari, quia nec etiam Deus est capax mortis in se ipso, nec ignorantia, &c. & tamen propter communicationem idiomatum Deus dicitur mori, & diceretur ignorans, si natura humana Christi haberet ignorantiam: similiter ergo denominaretur peccans, quia repugnat Deum esse hominem, & non esse illud, quod est homo. Nam per syllogismum expositiorum sequeretur bene, *Deus est hic homo, sed hic homo est peccans, ergo Deus est peccans.* Quare ex hoc ipso quodd ille auctor reputat absurdum, & fugit concedere, scilicet quodd Deus tunc denominaretur peccans, apparet satis probabiliter falsitas suppositionis, quam admittit, nempe, quodd in illo casu natura humana posset peccare.

Existimo ergo, adhuc in illo casu naturam humanam fore impeccabilem etiam de potentia absoluta; quod à posteriori colligitur ex eo, quodd eadem inconuenientia, quæ inferuntur, si nunc de facto humanitas Christi esset peccabilis, inferrentur etiam in illo casu; scilicet Deum peccatorem per communicationem idiomatum, Deum fore pessimum, deteriorem diabolo, dammandum, & his similia, quæ non minus verificarentur tunc, quam nunc, vt constat ex dictis. Cum itaque hæc inconuenientia cogant ad querendam nunc aliquam rationem à priori huius repugnantia; debent etiam eadem cogere ad querendam illam pro eo casu.

A priori ergo possumus hoc ipsum fundare in excellentia diuinæ sanctitatis, quæ medio supposito creato comunicaretur tunc humanitati: nam licet non vniretur immediatè humanitati aliquid diuinum; adhuc humanitas pertineret intrinsece ad illam personā, quæ simul esset Deus, & homo; quare ille homo verè esset Deus, & per consequens deberetur illi homini cultus patriæ supremæ, & sacrificiū, ceterique honores, qui soli Deo tribui possunt: haberet ergo infinitam dignitatem ratione cuius eius opera haberent etiam infinitum valorem ad merendum, & impetrandum. hunc enim infinitum valorem operum Christi supra *diff. 6. sect. 1.*

scilicet fundamur in maiestate ac dignitate, quam humanitas Christi habet, ut colatur, & coadoretur supremo cultu in illo supposito, hinc enim nascitur, quod non sit negandum illi homini peccanti id, quod unus Deus non negaret alteri Deo infinito peccanti; nec etiam sit censendum magnum premium respectu huius hominis Dei, id quod non fuisset magnum, si ab uno Deo daretur alteri Deo; quia nimirum cum hoc homine agendum est quasi cum Deo, cum verè sit Deus. Hæc autem ratio eodem modo procedit in illo alio casu, cum etiam ille homo esset Deus, & per consequens agendum esset cum illo quasi cum Deo; haberent ergo eius opera infinitum valorem, & dignitatem. Similiter ergo haberet illa humanitas omnimodam repugnantiam cum peccato, quia sicut infinita Dei excellentia, & maiestas communicat illam infinitam dignitatem humanitati sibi vnite, siue humanitas vnitur immediate supposito diuino, siue vniretur mediâ supposito creato; sic eadem infinita excellentia, & puritas Dei debet omnimodam puritatem & impeccabilitatem communicare humanitati quomodo-cumque ipsi vnita; utrobique enim est eadem ratio, nam sicut ratio comunicandi illam infinitam dignitatem humanitati est, quia quilibet contemptus, aut irreuerentia facta contra illam humanitatem, esset irreuerentia contra Deum, eo quod ille homo esset Deus, atque adeo non posset indignè tractari ille homo, quin Deus etiam tractaretur indignè; sic etiam ratio sanctificandi humanitatem vnitam Deo, & reddendi illam impeccabilem, est, quia peccatum illius humanitatis redundaret in Deum ipsum, quatenus peccante illa, verè Deus peccaret: infinita autem Dei puritas videtur asserere secum, ut munderet à peccato totam illam personam integram Dei, ne possit Deus merito reprehendi tanquam peccator.

Ad quod etiam potest applicari ratio supra facta, quod scilicet sanctitas infinita Dei, licet non sanctificet simpliciter infinitè humanitatem, debet tamen eam sanctificare summè; eadem enim ratio cum proportionem potest applicari ad casum præsentem. Nam illa sanctitas infinita Dei communicata, & vnita, immediate supposito creato, licet non sanctificet infinitè simpliciter illud suppositum creatum, debet tamen illud sanctificare summo modo; ergo debet illud ita munderare ab omni inquinamento, & forde peccati, ut nullo modo terminet substantia illa aliquod peccatum, vel naturam peccatricem. Nam suppositum, ut suppositum non potest aliter sanctificari; cum enim substantia ipsa immediate non peccet, sed solum denominatiuè, quatenus terminat naturam peccantem; sic etiam non potest munderi per sanctitatem sibi communicatam, nisi à peccato commisso, vel committendo per naturam substantiam in illo supposito. Si ergo illud suppositum sanctificatur summè in suo genere per naturam diuinam, quam immediate terminaret, deberet summè munderi ab omni peccato, eo modo, quo potest à peccato inquinari; non posset autem ita munderi, nisi impediendo, vel auferendo omnino peccatum à natura in eo supposito substantiente, ut constat: ergo de primo ad vltimum tota hæc repugnantia essentialis cum peccato consequeretur ad naturam humanam vnitam cum diuina, medio supposito creato. Alioquin si minor

Card. de Lugo de Incarnat.

rem repugnantiam haberet, quam essentialiter cum peccato, iam non intelligeretur summè sanctificari illud suppositum; maior enim sanctificatio concipi posset, scilicet si per illam vnionem excluderetur essentialiter omne peccatum, qui tamen modus sanctificationis non esset infinitus simpliciter, cum adhuc esset infra modum; quo suppositum diuinum sanctificatur à natura diuina secum identificata, qui est altior, & magis essentialis modus participandi sanctitatem, ut constat; ergo illum alium totum debemus intelligere provenire supposito creato ab vnione cum natura diuina, si illa vnio possibilis esset.

Obiicies primò, non sufficere, quod sanctitas infinita Dei vnitur vtrumque humanitati ad hoc, ut reddat illam omnino impeccabilem, & sanctam; nam de facto personalitates Patris, & Spiritus sancti coniunguntur aliquo modo saltem mediâ cum humanitate Christi, propter identitatem, quam habet cum essentia diuina: & tamen non sanctificatur, nec redditur summè impeccabilis humanitas formaliter ab illis personalitatibus, sed solum à personalitate Verbi, & natura diuina; ergo etiam in casu illo, de quo nunc agitur, non sufficeret vnio mediata humanitatis cum Deitate, medio supposito creato, ut sanctificaretur summè, & redderetur summè impeccabilis formaliter à diuinitate sibi mediâ vnita.

Respondetur, quidquid sit de exemplo adducto, negando consequentiam. Primò, quia in exemplo personalitates Patris, & Spiritus sancti ratione coniunctionis, quam habent cum humanitate Christi, non communicant cum illa in prædicatis, ita ut prædicata Patris, & Spiritus sancti dicantur de hoc homine, & prædicata huius hominis dicantur de Patre, & Spiritu sancto; quare nec adorando, aut colendo Patrem, aut Spiritum sanctum, colimus hunc hominem, nec contra contemnendo hunc hominem, contemnimus directè Patrem, aut Spiritum sanctum; ac per consequens nec ex peccato huius humanitatis sequeretur, Patrem, aut Spiritum sanctum peccare, sicut in nostro casu sequeretur, peccare Deum peccante illa humanitate; eo quod in nostro casu coniungantur natura humana, & diuina in vnum suppositum, quod idem esset homo, & Deus. Secundò, quia in exemplo adducto personalitates Patris, & Spiritus sancti non coniunguntur immediate cum humanitate Christi, aut cum eius supposito; quod debeat ab ipsis sanctificari summè, & munderi; at verò in nostro casu, (ut vidimus) Deitas vniretur immediate cum supposito creato, & ratione illius vnionis immediate deberet illum summè sanctificare eo genere sanctitatis, & puritatis, cuius suppositum est capax, hoc est, reddendo illud incapax terminandi villo modo peccatum, aut naturam peccatricem, quod fieri non potest, nisi reddendo impeccabilem ipsam naturam humanam substantientem in illo supposito.

Obiicies secundò, si in illo casu humanitas redderetur omnino, & essentialiter impeccabilis ab essentia diuina sibi vnita, medio supposito creato; ergo summè sanctificaretur ab illa. Consequens autem est falsum, non enim perfectissimè sanctificaretur; cum perfectius sanctificetur nunc humanitas Christi à personalitate diuina, sibi immediate vnita, quam tunc, quando sanctificaretur à

li 3

Deitate

25
Obiectio prima.

Resoluitur.

26
Obiectio secunda.

Deitate vnita, mediâte supposito creato, qui proculdubio est minus perfectus modus vnionis; ergo tunc non sanctificaretur summè, nec perfectissimè; ergo sanctificaretur minùs, quàm nunc, & per consequens redderetur minùs impeccabilis.

27
Dissoluitur.

Respondetur, in illo casu minus quidem perfectè sanctificandam humanitatem, quàm nunc, non tamen minùs sanctificandam, quàm nunc. nam, vt diximus suprà disp. 16. sect. 4. tunc dicitur magis sanctificari humanitas, quâdo per formam sanctificatè ordinatur radicaliter, & intrinsecè ad maiorem gloriam, & beatitudinè: cum autem per illam vnionem cum Deitate medio supposito creato ordinaretur sufficienter humanitas radicaliter ad quemlibet gradû gloriæ, & gratiæ habitualis, nulla enim esset gratia ad eam intentâ, quæ superaret dignitatem illius humanitatis sic vnitæ diuinitati, consequens est, quòd non minus sanctificaretur humanitas in illo casu, quàm nunc in persona Christi: non tamen sanctificaretur ita perfectè, quia non vniretur immediatè cum sanctitate increata, sed mediante supposito creato. Stat autè bene, nò minùs sanctificari, licet sanctificetur minùs perfectò modo, sicut suprà disp. 6. sect. 1. diximus, merita Christi omnia habere infinitum, & æqualem valorem, non tamen omnia esse equalia; quia licet singula possint mereri idè premium, nec possit esse premium ad eam excellens, vt non possit illud mereri quodlibet meritum Christi, non tamen habent omnia æqualem vim ad illud merendum, sed in æqualem, iuxta maiorem, vel minorem excellentiam singulorum meritum; sic cū proportionè in præsentì dicendum est, æqualiter sanctificari humanitatem per quamlibet ex illis vnionibus, hoc est, non ordinari radicaliter ad maiorem gratiam habitualement, vel gloriam per vniam, quàm per aliam; nec dignificari ad merendum aliquod premium per sua opera, ex dignitate, quàm nunc habet, ad quod etiam merendum non dignificaretur in illo casu: non tamen esset æquè perfecta in se illa sanctificatio, cum perfectius comunicetur Deitas, quando comunicatur immediatè, quàm cum solum comunicatur mediâtè. Aduerte tamen, quòd in vtroque casu comunicaretur intrinsecè, & sanctificaret intrinsecè. Sicut enim calor non dicitur reddere substantiam calidam extrinsecè, sed intrinsecè, licet non afficiat illam immediatè, sed mediâtè, hoc est, media quantitate, cui calor immediâtè inheret, iuxta communem sententiam; sic Deitas immediâtè vnita supposito creato non diceretur extrinseca humanitati, sed intrinseca mediâtè, quòd sufficit ad sanctificandam perfectè illam, vt diximus suprà disp. 16. sect. 2.

Aduertendum.

SECTIO III.

Resoluntur aliquæ dubia ex doctrina præcedenti.

28
Illatio prima.

EX dictis inferitur primò, repugnare Christo peccatum habituale, sicut repugnat actuale, quia cum summa sanctitate non minùs opponitur vnium, quàm aliud: quare si humanitas assumpta peccasset ante assumptionem eo ipso quòd allumeretur, mudaretur omnino ab omni macula præcedenti. An verò possit assumi natura, quæ peccauerit ante assumptionem, dicam sect. sequenti.

Illatio secunda.

Infero secundo, si per possibile, vel impossibile

assumeretur humanitas à Verbo, retinens propriam subsistentiam, adhuc eam humanitatem non posse peccare in proprio supposito. nam licet tunc fortasse non peccaret Deus per communicationem idiomatum; (quia non peccaret suppositum diuinum, sed creatum, quòd non erat Deus) adhuc ipsa humanitas peccaret, quæ cum sanctificetur summè à Verbo per vnionem, non magis posset tunc peccare, quàm potest nunc sine subsistentia propria.

Infero tertio solutionem illius dubij frequentis in hac questione, an vnio hypostatica pugnet physicè, vel solum moraliter cum peccato? Alii enim volunt esse repugnantiam physicam, alij moralem, alij addunt esse moralem ex natura rei. Sed quæstio est de vocibus. nam si per repugnantiam physicam intelligas eam, quæ fundatur in ipsa rei entitate, & appellari potest repugnantia intrinseca; proculdubio talis est repugnantia vnionis cum peccato: si verò intelligas repugnantiam inter extrema physica, certum etiam est, non repugnare physicè vnionem cum peccato, quia peccatum, præsertim habituale, non est ens physicum, sed morale.

Ex hoc insurgit aliud dubium, quomodo vnio physica possit impedire peccatum? ex quo pendet solutio argumenti, quo nititur Durandus, & alij, vt negent impeccabilitatem provenire formaliter ratione vnionis: quia scilicet principium proximum eodem modo se habet in Christo posita vnione ad operationes liberas eliciendas, ac si non esset vnio.

Respondetur tamen faciliè distinguendo: aut enim loquimur de peccato habituali, aut de actuali: de habituali eodem modo dicendum est, tolli formaliter per vnionem, sicut tollitur per gratiam habitualement, quæ est sanctitas inferior; nam sicut formaliter immediâtè gratificat subiectû, & reddit amabile, ita formaliter tollit maculâ, vel odibilitatem, quàm includit peccatum habituale.

De peccato verò actuali rursus distinguendum est; aut enim loquimur de peccato positiuo, aut de merè negatiuo. Peccatum positiuum est actus positius elicitus liberè contra legem, & hunc impedit vnio hypostatica impediendo essentialiter concursum requisitum in actu primo ad talem actum, exigit enim essentialiter, ne exhibeat Deus humanitati assumptæ concursum ad actum malum. Peccatum verò negatiuum est pura omisso libera actus præcepti, & hæc (si possibilis est) impeditur etiam ab vnione, quatenus vnio essentialiter exigit, quòd proposito præcepto humanitas prædeterminetur ad obediendum, vel data ei cognitione ad eam clara, vt necessitè omnino ad operandum, vel negata boni contrarij cognitione, vel saltem negato ei concursu ad eiu modi operationem, ex quo fiet, vt omisso operationis non sit iam libera, & per consequens non fit culpabilis: si autem non potest dari pura omisso libera, (vt mihi verius est) tunc eodem modo loquendum est de necessitate ad vitandum peccatum negatiuum, ac positiuum. Vtrumque enim impeditur per carentiam concursus diuini ad actum malum. An verò constet cum hac impeccabilitate libertas necessaria ad merendum per opera præcepta, dicemus infra.

Infero vltimò, eodem modo impediti essentialiter per vnionem peccatum originale. Possit